Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26880
Copyright: Admont, Benediktinerstift

70

beat monachus. et taciturnitatem habens.
usque ad interrogationem non loquatur monstrante scriptura. quia in multiloquio non effugietur peccatum. et quia vir linguosus non dirigitur super TERRAM.

DECIMUS humilitatis gradus est. si non sit facilis ac promptus in risu. quia scriptum est. Stultus in risu exaltat VOCEM SUAM.

UNDECIMUS humilitatis gradus est. si cum loquitur monachus. leniter et sine risu. humiliter cum gravitate. vel pauca verba et rationabilia loquatur. et non sit clamosus in voce. sicut scriptum est. Sapiens verbis innotescit paucis.

DUODECIMUS humilitatis gradus est. si non solum corde monachus. sed etiam ipso corpore. humilitatem videntibus semper indicet. id est in opere dei. in ora
se